

fan ἀνύμω Typographi artem suam occultare volentis, atque a deo Libellum illum non manu scriptum, sed impressum esse. Sed enim, quod vel Profodia docere poterat, sine manibus hic allusio est ad Virgilianum illud: *Quisque suos patimur manes*, nihilque vult aliud, quam Textum sine naevis exaratum esse, ut pluribus dixi in *Miscellis meis vernaculis seu Lesefrüchte* 1797. 8. editis P. I. p. 44.

## DLXXIV.

R. 3128 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 60. 4. per duas columnas non una manu et primum minutius exaratus, rubro distinctus et olim *monasterij canonicorum regularium ordinis S. Augustini ad S. Dorotheam wienne* continet I. *Breviloquium D. Bonaventurae*, prout habetur Edit. *Lugd. Opp.* 1668. T. VI. p. 5. et init: *Fleto genua mea ad patrem domini nostri ihesu christi &c.* A quibus verbis cum etiam ejus *Soliloquium* ineat, cavenda est confusio. *Breviloquium* nostrum dogmaticum est et didacticum; *Soliloquium* vero mysticum et affectivum, praeterea Dialogo inter Animam et Hominem scriptum.

II. a fol. 31. ad finem Codicis habentur Conceptus praedicabiles, seu Notata homiletica de diversis Materiis moralibus, quorum priora certis per annum Festis ad commodata sunt, puta de *Assumptione, Annunciatione, Natiuitate beate virginis, Epiphania &c.*

Posteriora, eaque plura, quaquaversum evagantur, v. g. *de die Judicij, Quod multi dampnantur et pauci saluantur, De duodecim condicionibus creaturarum, De decem beneficijs que nobis christus contulit per incarnationem suam*, et ita passim numerica.

## DLXXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 110 XV. Folior. 159. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas a diversis exaratus, minioque distinctus I. titulum praefert: *Incipit brevilloquium. Nempe Bonaventurae O. M. Card. Scriptoris Sec. XIII. Initium: Fleto genua mea ad patrem domini nostri ihesu christi &c.* Divisum est dogmaticum istud Compendium in VII. *Partes*, earumque *Capita*, ut in Edit. *Opp. omn. Lugd.* 1668. T. VI. p. 5. quacum Exemplum praesens satis consonat, si demas *Prooemii* finem, qui in Edit. est: *et septuaginta duobus capitulis distinguuntur*; in Codice vero procurrit multo longius omnium *Partium* et *Capitulorum* sistendo Titulos, qui cum alioquin ante *Partes* et *Capitula* fingillatim habeantur, hic consulto ab Editoribus omitti videntur. Elocutio saepe variat. Finis Opusculi: *donec intrem in gaudium dei mei qui est trinus &c.*

II. fol. 64. Opusculum alterum, quod ἀνέκρυψατος incipit: *Postulat a me uestra dilectio, ut de Articulis fidei et ecclesie sacramentis aliqua uobis compendiose pro memoriali transcriberem &c.* Est ve-